

CAPUT XCV.

Quod Deus non potest velle malum.

I. Part. quæst. xix. art. 9.

EX his autem quæ dicta sunt ostendi potest quod Deus non potest velle malum.

1. Virtus enim rei est secundum quam aliquis bene operatur. Omnis autem operatio Dei est operatio virtutis, cum sua virtus sit sua essentia, ut supra cap. xciii. ostensum est. Non potest igitur malum velle.

2. Item. Voluntas numquam ad malum fertur nisi aliquo errore in ratione existente, ad minus in particulari eligibili: cum enim voluntatis objectum sit bonum apprehensum, non potest voluntas ferri in malum, nisi aliquo modo proponatur sibi ut bonum; & hoc sine errore esse non potest. In divina autem cognitione non potest esse error, ut supra cap. lxi. ostensum est. Non igitur voluntas eius potest ad malum tendere.

3. Amplius. Deus est summum bonum, ut supra cap. xli. probatum est. Summum autem bonum non patitur aliquod consortium mali, sicut nec summe calidum permixtionem frigidum. Divina igitur voluntas non potest flecti ad malum.

4. Præterea. Cum bonum habeat rationem finis, malum non potest incidere in voluntatem nisi per aversionem à fine. Voluntas autem divina à fine aversionem non potest; cum nihil possit velle nisi volendo se ipsum, ut supra ostensum est cap. lxxv. Non potest igitur velle malum: & sic patet quod liberum arbitrium in ipso naturaliter stabilium est in bono.

Hoc autem est quod dicitur Deut. xxxiii. 4. Deus fidelis, & absque ulla iniquitate: & Habac. i. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Per hoc autem confutatur error Judæorum, qui in Thalmut dicunt, Deum quandoque peccare, & à peccato purgari: & Luciferianorum, qui dicunt, Deum in Luciferi dejectione peccasse.

CAPUT XCVI.

Quod Deus nihil odit.

EX hoc autem apparet quod odium alicujus rei Deo convenire non potest.

1. Sicut enim amor se habet ad bonum, ita odium se habet ad malum: nam iis quos amamus, bonum volumus; iis vero quos odimus, malum. Si igitur voluntas Dei ad malum inclinari non potest, ut ostensum est, impossibile est quod ipse rem aliquam odio habeat.

2. Item. Voluntas Dei in alia à se fertur, ut supra cap. lxxv. ostensum est, in quantum volendo, & amando suum esse, & suam bonitatem, vult eam diffundi secundum quod possibile est per similitudinis communicationem. Hoc igitur est quod Deus in rebus aliis à se vult, ut in eis sit suæ bonitatis similitudo. Hoc autem est bonum uniuscujusque rei ut similitudinem divinam participet: nam quælibet bonitas alia, non est nisi similitudo quædam primæ bonitatis. Igitur Deus unicuique rei vult bonum: nihil igitur odit.

3. Adhuc. A primo ante omnia alia originem essendi assumunt. Si igitur aliquid eorum quæ sunt,

odio habet, vult illud non esse, quia hoc est unicuique bonum. Vult igitur actionem suam non esse, quia illud in esse producit vel mediate, vel immediate: ostensum est enim supra cap. lxxxiii. quod si Deus aliquid vult, oportet quod illa velit quæ ad illud requiruntur. Hoc autem est impossibile. Quod quidem patet, si res per voluntatem ipsius in esse procedant: quia tunc oportet actionem quæ res producantur, esse voluntariam. Similiter, si naturaliter sit rerum causa: quia sicut placet sibi sua natura sic placet sibi omne illud quod sua natura requirit. Nullam igitur naturam Deus odit.

4. Præterea. Illud quod invenitur in omnibus creaturis activis naturaliter, præcipue in primo agente necesse est inveniri. Omnia autem agentia suo modo suos effectus amant secundum quod hujusmodi sicut parentes filios, poetæ poemata, artifices sua opera. Multo igitur magis Deus nullam rem odit, cum ipse sit omnium causa.

Hoc autem est quod dicitur Sap. iii. 25. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Dicitur autem Deus aliqua odire similitudinariæ, & hoc dupliciter. Uno quidem modo ex hoc quod Deus amando res, volens eorum bonum esse, vult contrarium bono, scilicet malum, non esse: unde malorum odium habere dicitur: nam quæ non esse volumus, dicimus odio habere, secundum illud Zachar. viii. 17. Unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendacium ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odit Dominus. Hæc autem non sunt effectus, ut res subsistentes, quorum proprium est odium, vel amor. Alius autem modus est ex hoc quod Deus vult aliquod majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni; & sic dicitur odire, cum magis hoc sit amare: sic enim in quantum vult bonum justitiæ, vel ordinis universi (quod esse non potest sine punitione), vel corruptione aliquorum dicitur illa odire, quorum punitionem vult, vel corruptionem, secundum illud Malach. i. 3. Esau odio habui: & illud Psalm. v. 7. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium: virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.

CAPUT XCVII.

Quod Deus est vivens.

I. Part. quæst. xix. art. 1.

EX his autem quæ supra ostensa sunt cap. xlii. & lxxii. de necessitate habetur quod Deus est vivens.

1. Ostensum est enim Deum esse intelligentem, & volentem. Intelligere autem, & velle non nisi viventis est. Est ergo Deus vivens.

2. Adhuc. Vivere secundum hoc aliquibus attributum est quod visa sunt per se, non ab alio moveri, & propter hoc illa quæ videntur per se moveri, quorum motores vulgus non percipit, per similitudinem dicimus vivere, sicut aquam vivam fontis fluentis, non autem cisternæ, vel stagni stantis, & argentum vivum, quod motum quemdam habere videtur: proprie enim illa sola per se moventur, quæ movent se ipsa, composita ex motore, & moto, sicut animata: unde hæc sola proprie vivere dicimus: alia vero omnia ab aliquo exteriori moventur vel generante, vel removente prohibens, vel impellente. Et quia operationes sensibiles cum motu sunt, ulterius, om-

omne illud quod agit se ad proprias operationes, quamvis non sit cum motu, dicitur vivere: unde intelligere, appetere, & sentire, actiones vitæ sunt. Sed Deus maxime non ab alio, sed à se ipso operatur, cum sit prima causa agens: Maxime ergo competit ei vivere.

3. Item. Divinum esse omnem perfectionem essendi comprehendit, ut supra cap. xxviii. ostensum est. Vivere autem est quoddam esse perfectum: unde vivencia in ordine entium non viventibus præferuntur. Divinum ergo esse est vivere: ipse ergo est vivens.

Hoc autem etiam auctoritate divinæ Scripturæ confirmatur: dicitur enim Deut. xxxiii. 40. Levabo ad cælum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum: & in Psalm. lxxxiii. 3. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

CAPUT XCVIII.

Quod Deus sit sua vita.

I. Part. quæst. xviii. art. 3. ad 2.

EX hoc patet ulterius quod Deus sit sua vita.

1. Vita enim viventis est ipsum vivere in quadam abstractione signatum, sicut cursus secundum rem non est aliud quam currere. Vivere autem viventium est ipsum esse eorum, ut patet per Philosophum in II. de Anima, text. com. lxxiiii. cum enim ex hoc animal dicatur vivens quod habet animam, secundum quam habet esse, utpote secundum propriam formam, oportet quod vivere nihil sit aliud quam tale esse ex tali forma proveniens. Deus autem est suum esse, ut supra cap. xxviii. probatum est. Est ergo suum vivere, & sua vita.

2. Item. Suum intelligere est quoddam vivere, ut patet per Philosophum in II. de Anima text. com. lxxiii. nam vivere est actus viventis, Deus autem est suum intelligere, ut supra cap. xlv. ostensum est. Ergo est suum vivere, & sua vita.

3. Amplius. Si Deus non esset sua vita, cum sit vivens, ut ostensum est cap. præc. sequeretur quod esset vivens per participationem vitæ. Omne autem quod est per participationem, reducitur ad id quod est per se ipsum. Deus ergo reduceretur in aliquod prius, per quod viveret; quod est impossibile, ut ex dictis cap. xlii. patet.

4. Adhuc. Si sit vivens Deus, ut ostensum est cap. præc. oportet in ipso vitam esse. Si ergo non sit ipse sua vita, erit aliquid in ipso quod non est ipse; & sic erit compositus, quod supra cap. xviii. improbatum est. Est igitur Deus sua vita: & hoc est quod dicitur Joan. xiv. 6. Ego sum vita.

CAPUT XCIX.

Quod vita Dei est sempiterna.

EX hoc autem apparet quod vita eius sit sempiterna:

1. Nihil enim desinit vivere nisi per separationem vitæ. Nihil autem à se ipso separari potest: omnis enim separatio fit per divisionem alicujus ab alio. Impossibile est ergo quod Deus desinat vivere, cum ipse sit sua vita, ut ostensum est cap. xcvi.

2. Item. Omne illud quod quandoque est, &

quandoque non est, est per aliquam causam: nihil enim se ipsum de non esse ad esse adducit, quia quod nondum est, non agit. Divina autem vita non habet aliquam causam, sicut nec divinum esse. Non igitur quandoque est vivens, & quandoque non vivens, sed semper vivit. Est ergo vita eius sempiterna.

3. Adhuc. In qualibet operatione operans manet, licet interdum operatio transeat secundum successionem: unde & in motu mobile manet idem subiecto in toto motu, licet non secundum rationem. Ubi igitur actio est ipsum agens, oportet quod nihil ibi per successionem transeat, sed totum simul maneat. Intelligere autem, & vivere Dei est ipse Deus, ut ostensum est cap. xlv. & xcvi. Ergo ejus vita non habet successionem, sed est tota simul: est igitur sempiterna.

4. Amplius. Deus omnino immobilis est, ut supra cap. xlii. ostensum est. Quod autem incipit, aut desinit vivere, vel in vivendo successionem patitur, mutabile est: nam vita alicujus incipit per generationem, desinit autem per corruptionem. Successio autem propter motum aliquem est. Deus ergo neque inceperit vivere, neque desinet vivere, nec in vivendo successionem patitur: est ergo Deus vita sempiterna.

Hinc est quod dicitur Deuter. xxxiii. 40. ex ore Domini: Vivo ego in æternum: & I. Joan. ult. 20. Hic est verus Deus, & vita æterna.

CAPUT C.

Quod Deus est beatus.

REstat autem ex præmissis ostendere, Deum esse beatum.

1. Cujuslibet enim intellectualis naturæ proprium bonum est (1) beatitudo. Cum ergo Deus sit intelligens, suum proprium bonum erit beatitudo. Non autem comparatur ad proprium bonum, sicut quod in bonum nondum habitum tendit: hoc enim est naturæ mobilis, & in potentia existentis: sed sicut quod jam obtinet proprium bonum. Igitur beatitudinem non solum desiderat, sicut & nos, sed ea fruitor: est igitur beatus.

2. Amplius. Illud est maxime desideratum, vel volitum ab intellectuali natura quod est perfectissimum in ipsa: & hoc est ejus beatitudo. Perfectissimum autem in unoquoque est sua perfectissima operatio: nam potentia, & habitus per operationem perficiuntur: unde Philosophus dicit, felicitatem esse perfectam operationem.

Perfectio autem operationis dependet ex quatuor. Primo ex suo genere, ut scilicet sit manens in ipso operante: dico autem operationem in ipso manentem, per quam non fit aliud præter ipsam operationem, sicut videre, & audire. Hujusmodi enim perfectiones sunt eorum quorum sunt operationes, & possunt esse ultimæ, quia non ordinantur ad aliquod factum, quod sit finis; operatio vero, vel actio ex qua sequitur aliquid actum præter ipsam, est perfectio operari, non operantis, & comparatur ad ipsum sicut ad finem; & ideo talis operatio intellectualis nature non est beatitudo, sive felicitas. Secundo, ex principio operationis, ut sic altissima potentia: unde secundum operationem sensus, non est in nobis felicitas, sed secundum operationem intellectus, & per habitum perfecti. Tertio ex operationis objecto; & propter hoc in nobis ultima felicitas est in intelligendo altissi-

(1) Al. habitudo.



num intelligibile. Quarto ex forma operationis, ut scilicet perfecte, faciliter, & delectabiliter operetur. Talis autem est Dei operatio, cum sit intelligens, & suus intellectus altissima virtutum sit, nec indiget habitu perficiente, quia in se ipso perfectus est, ut supra cap. xxviii. ostensum est: ipse autem se ipsum intelligit, qui est summum intelligibilem perfecte, absque omni difficultate, & delectabiliter. Est igitur Deus beatus.

3. Adhuc. Per beatitudinem desiderium omne quietatur: quia ea habita, non restat aliud desiderandum, cum sit ultimus finis. Oportet igitur eum esse beatum qui perfectus est quantum ad omnia quae desiderare potest: unde Boetius dicit, Lib. III. de cons. pros. 11. quod beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus. Sed talis est divina perfectio, quae omnem perfectionem in quadam simplicitate comprehendit, ut supra ostensum est cap. xxviii. & ltv. Ipse igitur vere beatus est.

4. Item. Quamdiu alicui deest aliquid quo indigeat, nondum beatus est, quia eius desiderium nondum est quietatum. Quicumque igitur sibi sufficiens est, nullo indigens, ille vere beatus est. Ostensum autem est supra cap. lxxxv. quod Deus non indiget aliis, cum a nullo exteriori sua perfectio dependeat, nec vult propter se sicut propter finem, quasi eis indigeat, sed solum quia hoc conveniens est suae bonitati. Est igitur ipse beatus.

5. Praeterea. Ostensum est supra cap. lxxxiv. quod Deus non potest velle aliquid impossibile. Impossibile est autem ei aliquid advenire, quod nondum habeat, cum ipse nullo modo sit in potentia, ut ostensum est cap. xvi. Igitur non potest velle se habere quod non habet. Quicquid igitur vult, habet; nec aliquid mali vult, ut supra ostensum est. Est igitur beatus, secundum quod a quibusdam beatus esse perhibetur qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.

Ejus autem beatitudinem sacra Scriptura protestatur I. Tim. ult. 15. Quem ostendet Deus suis temporibus, beatus, & solus potens.

CAPUT CI.

Quod Deus sit sua beatitudo.

I. Part. quest. lxxi. art. 2. ad 1.

EX his autem apparet quod Deus sit sua beatitudo.

1. Beatitudo enim ejus est intellectualis operatio ipsius, ut ostensum est cap. c. Supra autem ostendimus cap. xlv. quod ipsum Dei intelligere sit sua substantia. Ipse igitur est sua beatitudo.

2. Item. Beatitudo, cum sit ultimus finis, est id quod quilibet natus est habere, vel habens principaliter vult. Ostensum est autem supra cap. lxxiv. quod Deus principaliter vult suam essentiam. Sua igitur essentia est sua beatitudo.

3. Adhuc. Unusquisque in beatitudinem suam ordinat quicquid vult: ipsa enim est quae propter aliud non desideratur, & ad quam terminatur motus desiderii unum propter aliud desiderantis, ne sit infinitus. Cum igitur Deus omnia alia velit propter suam bonitatem, quae est sua essentia, oportet quod sicut ipse est sua essentia, & sua bonitas, ita sit sua beatitudo.

4. Praeterea. Duo summa bona esse est impossibile: si enim aliquid uni deesset quod alterum habe-

(1) Al. oportet ubicumque alius &c.

ret, neutrum summum bonum esset. Beatitudo etiam summum bonum ostenditur esse ex hoc quod est ultimus finis. Ergo beatitudo, & Deus sunt idem: est igitur Deus sua beatitudo.

CAPUT CII.

Quod divina beatitudo perfectissima est, omnemque aliam beatitudinem excedit.

I. Part. quest. xxvi. art. 4.

Uterius autem ex praemissis considerari potest beatitudinis divinae excellentia.

1. Quanto enim aliquid propinquius est beatitudini, tanto perfectius beatus est: unde etsi aliquis propter aliquam spem beatitudinis obtinenda beatus dicatur, nullo modo sua beatitudo comparatur ejus beatitudini qui eam jam actu consecutus est. Propinquissimum est autem beatitudini quod est ipsa beatitudo, quod de Deo ostensum est cap. ci. Ipse igitur est singulariter perfecte beatus.

2. Item. Cum delectatio ex amore causetur, ut ostensum est cap. xci. ubi est major amor, & major est delectatio in consecutione amati. Sed unumquodque ceteris paribus plus se amat quam aliquid aliud: cujus signum est quod quanto aliquid alicui est propinquius, magis naturaliter amatur. Plus igitur delectatur Deus in sua beatitudine, quae est ipsemet, quam alii beati in beatitudine, quae non est quod ipsi sunt: magis igitur desiderium Dei quiescit, & perfectior est beatitudo.

3. Praeterea. Quod per essentiam est, potius est eo quod per participationem dicitur; sicut natura ignis perfectius invenitur in ipso igne quam in rebus ignitis. Deus autem per essentiam suam beatus est; quod nulli alii competere potest: nihil enim aliud praeter ipsum potest esse summum bonum, ut ex praedictis cap. xli. patere potest, & sic (1) oportet ut quicumque alius ab ipso beatus est, participative dicatur beatus. Divina igitur beatitudo omnem aliam beatitudinem excedit.

4. Amplius. Beatitudo perfecta in operatione intellectus consistit, ut ostensum est cap. c. Nulla autem alia intellectualis operatio operationi ejus comparari potest: quod patet non solum ex hoc quod est sua operatio subsistens, sed quia una operatione Deus se ipsum ita perfecte intelligit sicut est, & omnia alia quae sunt, & quae non sunt, bona, & mala: in aliis autem intelligentibus intelligere ipsum non est subsistens, sed actus subsistentis; nec ipsum Deum, qui est summum intelligibile, aliquis ita perfecte potest intelligere sicut ipse perfectus est; cum nullius esse perfectum sit sicut esse divinum, nec alicujus operatio possit esse perfectior quam sua substantia: nec est aliquis alius intellectus qui omnia etiam quae Deus facere potest, cognoscat, quia sic divinam essentiam comprehenderet: illa etiam quae intellectus alius cognoscit, non omnia una & eadem operatione cognoscit. Incomparabiliter igitur Deus super omnia beatus est.

5. Item. Quanto aliquid magis unitum est, tanto bonitas ejus, & virtus perfectior est. Operatio autem successiva secundum diversas partes temporis dividitur. Nullo igitur modo ejus perfectio potest comparari perfectioni operationis quae est absque successione tota simul, & praecipue si non in mo-

mento transeat, sed in aeternum maneat. Divinum autem intelligere est absque successione, totum simul aeternaliter existens; nostrum autem intelligere successione habet in quantum adjungitur ei per accidens continuum, & tempus. Divina igitur beatitudo in infinitum excedit humanam, sicut duratio aeternitatis excedit nunc temporis fluens.

6. Adhuc. Fatigatio, & occupationes variae, quibus necesse est contemplationem nostram in hac vita interpolari (in qua consistit praecipue humana felicitas, si qua est praesentis vitae) & errores, & dubitationes, & casus varii quibus subjacet praesens vita, ostendunt omnino incomparabilem esse humanam felicitatem, praecipue hujus vitae, divinae beatitudini.

7. Amplius. Perfectio divinae beatitudinis considerari potest ex hoc quod omnes beatitudines complectitur secundum perfectissimum modum. De contemplativa quidem felicitate, habet perfectissimam

sui & aliorum perpetuam considerationem, de activa vero vita, non unius hominis, aut domus, aut civitatis, aut regni, sed totius universi gubernationem. Falsa enim felicitas, & terrena non habet nisi quamdam umbram illius felicitatis perfectissimae. Consistit enim in quinque secundum Boetium, Lib. III. de consol. pros. 11. scilicet in voluptate, divitiis, potestate, dignitate, & fama. Habet etiam Deus excellentissimam delectationem de se, & universale gaudium de omnibus bonis absque contrarii admixtione. Pro divitiis vero habet omnimodam sufficientiam in se ipso omnium bonorum; ut supra cap. li. ostensum est. Pro potestate habet infinitam virtutem. Pro dignitate habet omnium entium primatum, & regimen. Pro fama admirationem omnis intellectus ipsum utcumque cognoscentis. Ipsi igitur qui singulariter beatus est, honor sit, & gloria in saecula saeculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS

CAPUT I

FINIS LIBRI PRIMI

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Quod beatitudo est in seipso, & non in alio.

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Continuatio sequentium ad praecedentia.

Continuatio sequentium ad praecedentia.